



Ioannes patria Germanus ob præclaram ingenij
indolem à pueris operã literis dedit, atq; primis
principijs perceptis, sese hinc inde ad celebriores
Academias contulit. In ijs præcipuè Mathematicis
disciplinis incubuit, atq; Medicorum scientiã con-
iunxit. Itaq; factum ut sua diligētia in uirum doctis-
simum euaserit, atq; in Marpurgensi Academia, ut
Mathemata doceret, inter Professores receptus
fuit. Eam functionē is magna laude expediuit, atq;
huic scholæ ornamento extitit. Scripsit is Anatomē
humani capitis, in Marpurgensi academia publicè
ab ipso exhibita, atq; cum figuris in eo loco 1536 edi-
dit. Annulli quoq; Astronomici atq; Cylindri stru-

cturam & explicationem: Sphæræ materialis expositionem: Cosmographiæ
introductionem, cum quibusdam Geometriæ & Astronomiæ principijs ad
eam rem necessarijs: deinde confecit Astronomiæ atq; Cosmographiæ instru-
mētum, unà cum canonibus. Pinxit duos globos astriferos, figuris & circulis
egregiè ornatos. Nec non horologiorum solariorum uaria compositione li-
brum, cum multis alijs huiusmodi libellis Latinè & Germanicè à se editis. Un-
de contigit quod Driander apud omnes magnam gratiam inierit, atq; etiam
Cattorum principi gratus fuerit. Con. Lycoff,